

D. A.

OBSERVATIONES QUÆDAM  
DE  
VERA NOTIONE MEMORIÆ  
QUAS

SUFFRAG. AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN  
REG. ACAD. ABOENSI,  
PRÆSIDE

*M. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,*

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM.  
HIST. ET ANTIQUIT. MEMBRO,

PRO GRADU

*Publice examinandas modeste sistit*

*JOHANNES FABRITIUS,*

Wiburgensis

IN AUDITORIO MAJ. die VII MARTII  
AN. MDCCLXXXIX.

H. A. M. S.

---

*Aboæ, Typis Frenckellianis.*

*Viro*

Admodum Reverendo atque Præclarissimo

*D:no Mag. SAMUELI NORRGREN.*

Ecclesiarum, quæ Deo in Tohmajärvi, Kihtelisvaara & Pelgijärvi colliguntur, Pastori Meritissimo.

*Parenti Optimo.*

**B**eneficia, PARENS INDULGENTISSIME, quibus inde a secundo ætatis meæ anno, memet animo, affectu & indulgentia plane paterna cumulasti, tot sunt tantaque, quot quantaque a Patre optimo, expectare unquam potuerim. Quæ beneficia, quo rependam nihil mihi præter voluntatem, pietatis & venerationis in Te plenissimam, superest. Liceat itaque hanc, sensum meum gratissimum, his pagellis, munificentiae TUÆ illis etiam testibus, publice declarare, NOMINIQUE TUO CARISSIMO lucubratiunculas hæc inscribere Academicas: eumque pietatis meæ conatum, sereno quo me hætenus semper exhilarasti, vultu respicias, rogo. Meum de cætero erit, ad Summum Rerum Moderatorem calidissima jugiter vota fundere: velit Te, PARENS OPTIME favore Suo Divino benigne protegere, augere, & beare; ut senectus tua viridis, felix lætaque confervetur tandemque post hanc vitam, alia eam beatissima mutes. Ita vovet vovebitque

*Optimi Parentis.*

*Filius obsequentissimus.*

JOHANNES FABRITIUS,



§. I.

Quamvis Philosophi in animi humani indole explicanda, & hypothefes diverfas excogitaverint, & facultates ejus varias constituerint, varieque difpescuerint; in eo tamen inter illos fere convenit, quod has facultates ex una animi vi pendere, & valde inter fe cognatas connexasque effe, fateantur: quas pro diverfitate objectorum circa quæ verfantur, modi quo fe fe exferunt &c., in varia genera tribuunt, variisque nominibus infigniunt. Sic facultas, per quam rerum existentium actualiumve (ex. gr. corporearum externarumque) acquirimus cognitionem, *Senfum* appellant. Nempe cum motus qui ex rerum externarum imprefione in organa fenforia nafcuntur, per nervos in cerebrum modo quocunque propagantur, & fic ab animo percipiuntur, qui hinc imagines quasdam rerum fibi format, & modo quodam vel grato vel ingrato afficitur; ipfa mens infimul sæpiffime fibi confcia est non tantum harum mutationum, fed fuæ etiam perceptionis: unde facultas & *percipiendi* & *appercipiendi* ei tribuitur. Cum

A

vero

vero hæc perceptiones, vestigia quasi quædam sui gigantes, quæ ideæ vulgo nominantur, altera post alteram sic ad mentis penetrant adyta; stupenda omnino ratione inter se invicem simul associantur, & catena quasi vel serie quadam connectuntur, atque in classes, ordines & tanquam regiones certas distribuuntur, sicque conservantur. Utrum vero vel in cerebro vel in mente conserventur, quæstio est, in qua persequenda nunc quidem haud licet nobis morari; maxime probabile videtur, utriusque conjunctam requiri opem. Ideæ vero sic conservatæ, cum sæpe vel ob multitudinem vel ob langvorem suum &c. evanuisse, absentesque esse ac latere animum videntur; iterum tamen operâ mentis revocari, instaurari & restitui posse, minime fallax docet experientia: in quo alia rursus mentis quædam facultas cernitur. Hæc altera facultas, in duas distingvi quasi partes solet, *Phantasiam* scilicet & *Memoriam*: quæ sæpe a Philosophis adeo parum subtiliter parumque constanter definiuntur & explicantur, ut difficile sit eas sufficienter ubique distingvere. Plerique *Memoriam* definiunt facultatem mentis, qua conservare & revocare in animum, quandocunque placet, ideas rerum olim perceptarum, easdemque agnoscere, possumus. *Phantasiam* autem perceptionum reproductionem, rebus ipsis absentibus, sive imaginum esse instauracionem recursionemque, explicant. Quæ definitiones ita sunt implicitæ, ut ex illis certo ac liquido haud pateat, quid cuique harum facultatum proprie

prie sit tribuendum. Qua re moti, utriusque & discrimen & veram indolem, quantum vires sinant, accuratius indagare & exponere brevi hac dissertatione conabimur.

§. II.

Memoriam cum Phantasia in multis convenire, & arcta quasi cognatione conjungi, simulac historiam vitæ atque actionum hominis attenta consideratione perfequimur, facile apparet. Fundamentum nempe utriusque facultatis in organisatione interiore cerebri magna ex parte situm esse, ipsa experientia dicitur: quæ eadem docet, ex nexu idearum atque associationis earundem indole & vi, utramque maxime pendere. Quo major variarum idearum copia associationis legibus connexa conservatur, quo fortior diuturniorque nexus earum viget, quo facilius vividiusque alia aliam excitat, eo præstantior utraque facultas habetur. Hinc facile simul liquet, quantumcunque magnam ipsa natura in his facultatibus homini largiendis vim exserat, non tamen nihil voluntati quoque nostræ, diligentia & exercitationi, esse tribuendum; quod ut omnes dotes animi, sic hæc etiam, nisi cultura quædam ac assuesfactio accesserit, rudes maneat languidaque, & penitus tandem evanescant: saltem præstantiores quam animalium brutorum illæ, haberi haud possint. His vero in rebus quamvis cog-

natio utriusque facultatis aperte cernatur; discrimen tamen inter eas intercedere, vel sermo vulgaris communisque hominum consensus, docet. Sic fatentur omnes, Phantasiæ inprimis vigorem & fœcunditatem, non item Memoriam vim, Pictores & Poetas facere, qui animi affectus & rerum imagines præclare exhibere, & vivide exprimere norunt. Porro non minus consentiente hominum opinione asseritur, Phantasiam ut vividiorum & fortiorum mentis facultatem, vehementiorem quidem mentis attentionem elicere, ac commotiones animi majores excitare; sed non tam constantem atque cum rerum externarum serie consentaneum, ac memoria solet fidelis, ordinem servare. Præterea illa ideas ac quasi imagines menti igneas exhibet inprimis sensuales; quæ cum ab animo in quiete constituto, & iis solis intento, revocantur, adeo ei sæpe dominantur, ut rerum externarum conscientiam penitus fere amittere videatur. Hinc *Fingendi* facultatem Phantasiæ esse filiam atque dotem præcipuam, omnes largiuntur: quæ vim suam in mutandis, varie dividendis, minuendis, componendis, augendis imaginibus & ideis, per sensus olim oblatis, exserit. Hæc vero singula in Memoriam minime quadrare, omnes consentiunt. Mens enim hujus facultatis ope ideas revocans pristinas, easdem classes, ordines & tanquam regiones in quas ideæ segregatæ & dispositæ olim fuerunt, quasi adit & appellat, ac inventas eadem serie externa qua associatæ fuerunt, renovat. Inprimis autem in verbis

nec

nec non in ideis abstractis, universalibus, reflexis, mere intellectualibus conservandis & reddendis, vis ejus cernitur. Quo absurdius tota ad facultatem mentis quam vocant inferiorem, a quibusdam refertur; intra cujus cancellos nec Phantasiæ illa pars quam mens liberius dirigit, includi recte potest. Quare jam ex his apparere putamus, hæc facultates, communi licet fundamento nixas, omnino tamen & esse & vulgo existimari distinctas. Præterea constat, raro accidere, ut utraque dos in eodem homine in æquali vigoris gradu adsit. Neminem porro negaturum existimamus, longe aliter rem eandem a Phantasia ardente depictam exhiberi, aliter a Memoria fideli narrari & exponi (a). Quæ pluribus hoc loco persequi, non attinet.

§. III.

Quo itaque harum, omnium consensu vere distinctarum mentis dotium confusio caveretur; accuratius & indolem utriusque definire, & limites earundem describere, necessarium fuit Philosophis visum. Sed alii aliam ingressi sunt viam. III. HALLERUS (a)

A 3

&

---

(a) Cfr. MEINERS *Grundriß der Seelenlehre* II Th. III C. 1 §. p. 72.

(a) *Elem. Physiologiæ*, T. V, L. XVIII, Sect. I. §. VII, p. 542. "Sive sponte, inquit, sive ex animæ voluntate vestigia in memoria animæ repræsentantur, dicitur

& Dn. CONDILLAC (b), a quibus nec Dn. BONNET (c) admodum abludit, *Memoriam* ad solam facultatem signa idearum ac harum ope ideas ipsas conservandi & revocandi, restrinxerunt: qui ad *Phantasmiam* contra perceptionum ipsarum revocationem quamcunque retulerunt. Fatendum quidem est, quod etiam supra significavimus, ideas abstractas, universales, reflexas, in mente conservari non posse nisi certis not-

---

*“Memoria, quando signa revocantur, & Imaginatio, quando ipsae sensationes revocantur. Separatae sunt hae facultates: nam alii homines signorum Memoria pollent, miramque possident nominum repetendorum facultatem: alii Imaginatione vivida excellunt, ut sensationes vetustas pene aequae valentes sibi repraesentent, ac quidem fuerunt cum primum sensorio organo se offerrent.”*

(b) *Sur les Sensations* I. 56, 326. *Sur l'origine des connoiss. humaines* I: 44 — 50. 76, 114.

(c) *Essai Anal. sur l'Ame*, §. 222, ubi dicit: “C'est à la faculté qui conserve & rappelle les mots représentatifs des choses, que le nom de *Memoire* a été particulièrement consacré.” Nec ab hac sententia admodum alienum se profitetur Dn. MEINERS l. c. dicens: Weil der Mensch äußerliche Gegenstände und innere Veränderungen nicht nur empfinden, sondern auch Eindrücke und Spuren derselben erhalten und erneuern kann; so schreibt man ihm deswegen bald Gedächtniß, und bald Einbildungs- Kraft zu. Die Gränzen und Eigenthümlichkeiten dieser beyden Kräfte sind noch immer nicht genug besimmt; es scheint mir aber, als wenn Condillac und Herr von HALER sich der Wahrheit mehr, als andere genähert hätten.



tentur signis, sive naturalibus sive arbitrariis; quæ cum animo repræsentantur, ideæ cum illis olim connexæ, simul quasi redeunt & menti sistuntur: qua ratione ipsæ etiam ideæ abstractæ in sensualium quasi familiam quodammodo adoptantur, ac facili negotio verborum ope renovari possunt. Neque negamus, hac parte & quasi nota, (quod *verba*, quibus ideæ nostræ significantur, retinemus atque illorum ope has revocare valemus), Memoriam a Phantasia inprimis dilucide atque præclare distingvi; sed nimis tamen arctam, atque ab usu sententiæ sermonisque communis recedentem, hanc esse Memoriam notionem existimamus. Nemo enim nescit, solere vulgo dici, nos formæ hominis olim visi, situs locorum, factorum ordinis &c. æque ac verborum auditorum lectorum-ve meminisse; atque hominibus, qui res gestas exacte fideliterque, prout vere evenerunt, cum omnibus suis circumstantiis depingere valent, non minus ac illis, qui verba audita lectave recitare accurate possunt, *Memoriam* felicem tribui. Quare veteres jam Philosophi *Memoriam* in *verborum* & *rerum* divisisse reperiuntur; ac CICERO *Lucillum* divinam quandam *memoriam rerum habuisse*, *verborum majorem Hortensium*, docet (d): a qua distinctione Memoriam, non valde abit quam proponit Dn. GARVE, in mere *conservatricem* & quodammodo *ratiocinatricem*; quarum illam *memoriam* stri-

ctō

---

(d) Quæst. Acad. L. II (f. IV.) C. I.

cto sensu, hanc vero dotem *reminiscentiæ* appellandam censet, ac utriusque indolem egregie explicat (*e*). Nempe illa præteritas conservat impressiones, easque menti, quoties hæc vult, mox, & quasi sponte, eodem ordine rursus repræsentat, quæ nullo alio opus habet labore, quam ad eas quasi adspiciendi; cujus Memoriam vis ex facultate hominis lecta vel audita ad verbum ediscendi, existimari fere potest. Alterum vero Memoriam genus, attentionem atque quasi meditationem quandam adhibere necesse habet; qua mens ideas præteritas quamprimum una earum revixit, nexum atque feriem earum internam persequendo, excitare valet, cujusque ope Intellectus noster carere minime potest. Ac pervulgatum est, *Reminiscentiam*, quæ minime sola spectat *verba*, sed ad res atque facta æque pertinet, ad *Memoriam* ut dotem quandam præcipuam referri. Quamvis igitur non negemus, *signa*, ac inprimis *verba* insigne utique esse Memoriam nostræ objectum; ac in genere perceptiones *auditus* videri magis Memoriam exhiberi conservandas, ut *visus* illæ maxime Phantasiæ: tamen in signis tantum idearum revocandis situm esse omne Memoriam officium, dare non possumus.

---

(*e*) Ueber die Prüfung der Fähigkeiten, in *Ejusd. Sammlung einiger Abhandlungen*, p. 29. 199. Cfr. RICHERZ Zusätze zu MURATORI über die Einbildungskraft, IV C. p. 203, 199. & von IRWING Erfahrungen und Untersuchungen über den Menschen §. 153, 154, 155.

mus. Idque tanto minus, cum nec *verborum* Memoriam omnem, ut signorum conservationem spectare liceat; quæ sæpe non alia est quam nudorum *sonorum*, adeoque perceptionis sensualis; v. g. quoties copia verborum peregrinorum atque non intellectorum ediscitur: quæ non magis certe signa sunt, quam flexiones & vocalæ hominis, acroama aliquod musicum, cujus numeros & modos memoriæ mandavit, cantantis.

§. IV.

Alii igitur porro aliam, inter has distinguendi mentis Facultates, rationem inierunt. Ad quam gignendan sententiarum diversitatem, inconstantia sermonis communis, varius vocabulorum usus, variæque insigniores quasi utriusque facultatis exertiones, (quarum alias alii inprimis spectarunt), haud parum contulerunt: nec a licentia mutatas temere significationes verbis adjungendi, satis Philosophi semper temperarunt. Hinc qui *Phantasiæ* (& *Imaginationis*) vocabulum ad solam vim revocandi rerum *sensibilium* absentium perceptiones restrinxerunt (a); quamvis videre debuissent internas etiam mentis perceptiones, atque ideas omnis generis, similiter reproduci, hanc tamen tam insignem ejusdem facultatis partem aut plane præterierunt, aut totam ad *Memoriam* retulerunt:

B

cu-

---

(a) WOLFFIUS, *Pfychol. Empir.* §. 92; cfr. WALLERII *Pfych. Empir.* §. 81.

ejus itaque accuratam & concinnam formare definitionem nullo pacto potuerunt (b). Plurimi in idearum (tam sensualium quam intellectualium) reproductionum

---

(b) Ubi ideæ istæ non vero ordine, atque eo quo olim, redeunt, sed varie mutata & commixta; quis non videt, eas ad *Imaginationis* facultatem æque ac *sensuales* illas esse referendas, ejusque alteram sic partem constituere? Ab organisatione cerebri non minus quam illæ dependent, ac secundum easdem plane leges *Imaginationis*, s. associationis idearum, reproducuntur. Vocabulum quidem *Phantasia* (a quo Latinum *Imaginationis* non differt) improprie ad has ideas applicatur; sed non minus improprie ad quasvis alias ideas sensuales, præter visu perceptas, accommodatur: quare nihil impedit, quo minus longius etiam, & quousque res postulat, æque commode extendatur ac plurima alia vocabula, quæ a rebus sensualibus ad res intellectuales significandas traducta, communiter usurpantur. Ac ut multi *Memoriam* distingvere in *sensualem* & *intellectualem* solent; ita eodem modo *Imaginationem* æque commode dispescere licet. (Cfr. GARVE l. c. p. 35 sq. RICHERZ l. c. p. 53 sqq. GERARD über das Genie, p. 40 seqq. &c.) Faciles quidem largimur, *Imaginationem* rerum (sive reproductionem perceptionum) sensualium, esse multo vividiorum; in quo causa inest, cur ad hanc hujusce facultatis partem homines magis attenderint: sed utraque tamen de eodem est genere, utraque partim mere *passive* se habet atque secundum leges quasi mechanicas agit, animo eam non dirigente, partim *active*, magis minusve *libere*, a mente gubernatur, ut ea quæ proprie *Fictio* dicitur. Verum quidem est, quoties simul aliquis *sensus gratus ingratusve* oritur, (qui

*rum recognitione* vim Memoriam sitam esse, docuerunt (c); qui imaginum atque idearum qualiumcunque reproductionem quantumvis exactam & olim habitis perceptionibus convenientem, nisi cum ea simul conjuncta sit conscientia earundem jam ante habitarum, ad Memoriam pertinere negant (d). Verum alii hanc Reminiscendi virtutem non tam ipsam constituere Memoriam, quam accedentem ad ejus vim esse dotem, urgent. Nam quoties vocabula, imagines, ideæ, definitiones, distinctiones, demonstrationes &c. non mutatae, vel quoad indolem vel quoad ordinem atque feriem suam, ab homine fideliter conservantur, in communi quasi horreo aut thesauro reposita, unde fa-

B 2

cile

---

ad *activam* mentis vim excitandam maxime confert) Phantasiam mox evadere vehementiorem; sed minime tamen vel necessarium est, vel usui loquendi communi consentaneum, ut hujus facultatis exertio talis sola vel *Phantasie* vel *Imaginationis* nomine veniat. Neque arbitrariae horum vocabulorum quas alii atque alii effinxerunt significationes nobis placent; ac vix fieri posse credimus, ut hujus facultatis exertiones variae diversis singulae nominibus commode notentur. Vid. PLATNER *Philos. Aphorismen* §. 108, 239, 396, VON IRWING l. c. §. 109, 110, & 165; qui præclare hujus facultatis indolem ac vim persequitur §. 166 — 172. Cfr. RICHERZ p. 52, not. (9).

(c) WOLFFIUS l. c. § 173 & 175; HOLLMANNI *Log.* §. 6. cfr. REIMARI *Vernunftlehre* I Th. I C. §. 43; GERARD l. c. p. 38 seq. & p. 53.

(d) Vid. Auctores mox laudati, not. (c).

eile vel promi queant, vel menti quasi sponte sistantur; toties condi in *Memoria* nostra dici vulgo solent, etiam si cum in conspectum quasi mentis prodeunt, non semper confestim pro antea habitis agnoscantur: ad quod sæpe labore quodam atque attentione pertinentiore opus est; quæ res cum successit, tum demum *Reminiscentiæ* vim se prodere, monent. Sic, si quis verborum seriem (etiam non intellectorum), aut versus, aut modos musicos &c. repetere sciat, quos se antea audiisse jam non recordetur (quos tamen alii interdum, ac unde hausti sint, agnoscant); quin *Memoriæ* tamen suæ eos inhæsisse fatendum sit, nemo dubitare potest: ac omnes scimus, sæpe ideas nobis offerri, quas primo novas esse putantes, postmodum obversatas jam ante nobis fuisse, deprehendimus (*e*). Negari autem ne-

---

(*e*) VON IRWING I. c. §. 156. Es ist leicht einzusehen, daß :::: eine vergangene Idee in uns wieder gegenwärtig seyn kann, ohne daß es dabey nothwendig sey, daß wir uns zugleich erinnern, diese Idee sey eben dieselbe, die wir vor diesem schon gehabt haben. Wir bekommen oft wirklich mancherley vorige Ideen wieder, ohne uns dabey zu erinnern, daß wir sie schon gehabt haben. Selbst :::: kan die gesuchte Idee, wie oft zu geschehen pflegt, wirklich gefunden seyn, und uns doch dabey die Erinnerung mangeln, daß es die gesuchte in der That sey. Die eigentliche Erinnerung ist also von der blossen Erneuerung vormahliger Ideen, ganz und gar verschieden, und keine nothwendige folge davon. Wenn Ideen, vermöge ihrer Association, es sey mit oder ohne Vorsatz, erneuert

nequit, Memoriam, hoc modo definitam, ut in organisatione cerebri interiore magis quam in ipsa mente fitam concipere oportere, atque in vestigiis cerebro inhaerentibus, in conspectum mentis rursus revocandis, consistere videri; quæ tum demum ad mentem pertinet, cum signa, ideas atque series illas contemplari, sive *sponte sibi* (sæpe etiam invitæ) *oblata* sive *studio revocatas*, illa incipit: unde & *Memoriam* (non minus quam *Imaginationem*) & *Recordationem* vel *mere passivam*, vel etiam *activam* esse, Philosophi recte observant (*f*).

§. V.

Alii denique *Memoriæ* facultatem in eo proprie consistere atque ab *Imaginatione* distingvi, statuunt, quod perceptiones & ideas olim habitas plane *easdem, eadem forma, ordineque eodem*, animo sistere (*vestigiis suis interim fideliter conservatis*), valeat (*a*);

B 3

quas

werden, so ist das allemal ein werk des Gedächtnisses: es kann also auch das Gedächtniß, ohne die Erinnerung wirksam seyn. Cfr. *Richerz* l. c. p. 51.

(*f*) Cfr. *LOCKE de Intell. humano* L. II, C. X, §. 7; v. *IRWING* l. c. *GARVE* Anmerk. zu *FERGUSONS Grundsätze der Moralphilosophie*, p. 308 sq. Inprimis *Recordationem activam* Germani vocant *Besinnen*, *passivam* autem (*Reminiscentiam*) proprie *Erinnerung*; de cujus utriusque indole & ratione præclare agit *VON IRWING* l. c. §. 156 — 164. Cfr. tamen *GARVE* l. c.

(*a*) Recte tamen observat *RICHERZ* l. c. p. 51, raro *Memoriam nostram accurate ideas ab omni Phantasma-*

quas *Imaginatio* non nisi varie mutatas, & aliter con-  
 nexas, reddere solet (*b*). Ac egregie observat Dn.  
 VON IRWING, perceptiones ac ideas nostras, miro  
 naturæ artificio, triplici inprimis quasi lege associari,  
 atque hinc alias occasione aliarum, quocumque modo ex-  
 citatarum, reproduci; Nempe si vel *coëxistentes* (loco at-  
 que etiam tempore) olim fuerunt, vel sibi invicem *succes-*  
*serunt*, vel *similitudinem* atque convenientiam inter se  
 habent (*c*). Primam illam atque secundam cum mens  
 sequitur rationem, *Memoriæ* facultas se exserere dicitur;  
 tertiæ ubi indulget, *Phantasiæ* five Imaginationis  
 vim agere, autumamus (*d*): quarum alia alii homi-  
 nes fortiori debiliorive pollent, ætatis quoque diver-  
 sitatem sæpe experta. Hinc *Memoria*, *ideas* exacte  
 (quantum fieri potest) *easdem* eodemque ordine &  
 modo dispositas quo olim menti obvenerunt, conser-  
 vat

---

tum admixtione ita puras conservare posse, ut exactis-  
 sime eadem permaneant. Cæterum & *singulas* imagines,  
 ideas (verba), & plurium *seriem*, ubi non adulteratæ sed  
 eadem forma ordineque conservantur & revocantur, ad  
 Memoriam pertinere, ex dictis liquet.

(*b*) Vid. HARTLEY *Betracht. über den Menschen*, II  
 B. p. 53 & 62; GARVE *Samlung &c.* p. 28; RICHERZ p.  
 51. 19.

(*c*) Cfr. PLATNER l. c. §. 325 — 383.

(*d*) V. IRWING l. c. §. 108, 109, 110; (V. I. p. 417  
 seq; p. 427 — 430); §. 151, 165, 166. (V. II. p. 242  
 — 145; p. 349 — 360 &c.); cfr. §. 19 (I. p. 65 — 69).



vat & exhibet; unde ejus ideas, seriesque earum, cum nexu rerum *objectivo* (sive reali ac extra animum vere obtinente) consentire, patet: *Imaginatio* autem, *similitudinis* tantum ratione ducta, & ideas ipsas varie mutat, dividit, componit, & ab ordine quo olim acceptæ habitæque sunt (adeoque a rerum extramentem inveniendarum nexu) plane recedens, novas earum series format, *nexum* tantum earum *subjectivum* sequens (e). Quare *actualitatis* s. *realitatis* notionem cum *Memoriæ* definitione conjungendam (f), ab  
*Ima-*

(e) Verba *D:ni* VON IRWING hæc adponenda duximus: Wenn die Ideen die = = = in der Seele erneuert werden, genau eben dieselben sind, die sie vormals gewesen, so ist das Gedächniß insbesondere wirksam; — wenn aber gar nicht darauf gesehen wird, ob die so herbey geführte Ideen itzt eben so beschaffen sind, wie sie ursprünglich gewesen, da wir sie entweder von außen bekamen, oder sie uns selbst anfänglich formten, das ist, wenn gar nicht auf den Zusammenhang der Ideen, den sie durch Gleichzeitigkeit und Folge auf einander bekommen, geachtet, = = = so bleibt nichts weiter übrig, als die mitwirkung der Nerven, nach dem Zusammenhange der Einstimmung und Ähnlichkeit, mit ihren Untergattungen und Verhältnissen; und die dadurch in uns erzeugte Ideen, werden den wirkungen der Phantasie überhaupt zugeschrieben. L. c. V. II. p. 349 sq. Cfr. etiam de nexu rerum *objectivo* WALLERIUS l. c. §. 96 & 97, atque MOSES MENDELSONS *Morgenstunden*, p. 84. sqq.

(f) Itaque Phantasiam *Dn.* RICHERZ hujusmodi verbis describit: Phantasie heißt das Vermögen des Menschen,

*Imaginationis* autem illa removendam esse, Philosophi pronuntiarunt (g). *Memoria* (qua omnis generis historia, ut duce eget,) novi nihil creat aut parit, pristina tantum (& vere percepta & olim imaginata, cum de his quæstio est), fideliter conservans & exacte repetens; *Phantasia* novis fingendis inprimis se exferit, quæ cum Intellectu atque Judicio suos gubernari lusus patitur, Poëtarum, Pictorum &c. laudem præcipuam gignit, sed nec Philosophis, Mathematicis &c. meditantibus exigui censi debet usus atque pretii (h). *Tota Facultas Mentis Reproductiva* sive perceptio-

---

vormahlige Sensationen, Eindrücke und Ideen — zu erhalten, zu reproducieren, und in mannigfaltige ganz veränderte Verbindungen zu bringen, ohne daß bey solchen Verbindungen Beziehung auf Wirklichkeit statt fände l. c. p. 52. Paullo autem ante dixerat: Beyde (*Memoria* & *Phantasia*) haben dieß gemeinschaftliche, daß sie Eindrücke und Ideen aufbewahren und wieder hervorbringen; nemlich vormals erhaltene Eindrücke und Ideen, deren veranlassende Ursache abwesend ist, das heißt, die äußere Sinneswerkzeuge des Menschen gar nicht mehr berührt. Aber das Gedächtniß ist es, welches vormalsige Eindrücke und Ideen in derselber Form und Ordnung wieder hervorbringt, worin sie von uns erhalten worden sind.

(g) Hinc etiam usu invaluit, ut ideæ falsæ, fictæ atque commentitiæ, *Phantasticæ* atque *Imaginarie* appellarentur: cfr. SEARCH (I. TUCKER) *Light of Nature* Ch. XII. §. II.

(h) VON IRWING l. c. §. 151. Aus diesem Gesichtspunkt betrachtet, läßt sich das Gebiet des Gedächtnisses insbesondere,

tiones ac ideas reproducendi, (Germanorum Philo-  
sophi vocant *Wiedervorstellungskraft* (i)), in binos  
hos quasi ramos diffunditur; cujus etiam *activa* illa  
species ab *Intellectu* tamen, *Judicio*, ac *Ratione*, infig-  
niter differt (k).

C

§. VI.

und in wie weit gewisse Ideen zu den eigentlichen Gedächtnis-  
ideen gehören, oder nicht gehören, leicht bestimmen. Denn so-  
nach gehören dazu nicht allein alle vormalige gleichzeitige und  
auf einander folgende Ideen, sie seyn Verhältnißideen oder  
ehemalige Empfindungs-ideen, abstracte und allgemeine Ideen,  
oder Zeichenideen und Worte, in so weit sie nämlich genau es-  
ben dieselben sind, die wir schon einmal gehabt haben. Hin-  
gegen sind alle ganz neue Ideen, und alles das, was an den  
vormaligen, so wohl dem Inhalte als der Gestalt und Verbin-  
dung nach, neu ist, keine Frucht des Gedächtnisses insbesondere,  
und dasselbe hat in so fern keinen Theil daran. Etc. Cfr. GE-  
RARD I. c. p. 40 sqq. p. 53 seqq.

(i) Vid. TETENS Versuche über die menschliche Natur, I  
B. passim. Quam satis incommode VON IRWING vocat *Me-  
moriam in genere*, (Gedächtniß überhaupt), (I. c. §. 108) a  
qua *Memoriam in specie* (S. insbesondere) distingvit; alii  
*Phantasiam* s. *Imaginationem* in genere, appellant. (PLAT-  
NER &c.)

(k) Cfr. GARVE I. c. p. 47 sqq; GERARD I. c. p. 44 sqq;  
VON IRWING I. c. §. 174, 175, 176. Minus commode di-  
stingvit SEARCH I. c. Ch. XII *Imaginationem* (*passivam* so-  
lam spectat), ab *Intellectu* (*Understanding*), ad quem *a-  
ctivam* etiam *Phantasia* partem refert.

§. VI.

Hanc igitur Memorix explicandæ rationem maxime nobis placere, fatemur; quæ præterea cum reliquis illis arctam sane habet cognationem. Quia videlicet Memoria *easdem* omnino ideas seriesque idearum quas olim habuimus, resuscitatas exhibet; non possunt non facilius *recognosci*, inprimis attentione ac comparatione quadam adhibita, (quod in mutatis varie Phantasiæ ideis contra fieri, necesse est): quæ ratio est, cur hanc *Recordationis* notionem multi Philosophi cum Memorix illa conjungendam mox esse, censuerint. Satis enim ostenderunt viri perspicacissimi, *Recordationem* neque simplicem quendam esse sensum, ideæ reproductæ naturaliter adhærentem (1), neque ex certo ac determinato gradu vividitatis idearum repræsentatarum pendere (m); sed ex attentione mentis oriri, qua certam ideam, pro nexu quem hæc, ratione *successionis atque coëxistentiæ* cum aliis habet ideis, aut usque ad primum ejus ortum aut faltem ad præteritas coëxistentes perceptiones, persequitur (n).

Hoc

(1) Ut docetur in Anonymi *Essai de Psychologie*, Ch. XII, & D:ni BONNET l. c. Ch. IX. Sed cfr. VON IRWING §. 156.

(m) PLATNER l. c. §. III. 112. Sed cfr. ib §. 387 — 394.

(n) VON IRWING l. c. §. 158 — 164; ubi egregie inter alia monet: Die Erinnerungskraft ist darin von der

Hoc autem *Recordationis* negotium, nisi signorum, ma-  
C 2 xi-

Einbildungskraft ganz verschieden, daß sie sich an keine Uebereinstimmungen und Ähnlichkeiten der Ideen kehrt; sie nimmt den weit schwerern Weg, den die Folge der Ideen und derselben Gleichzeitigkeit vorschreibt, und sucht den Ursprung derselben, Zeit, Ort, und Umstände auf. Die Verhältnisse der Uebereinstimmung würden sie nur verführen, und von ihren Endzwecke ableiten. So sehr aber auch beyde in ihren Absichten und Wirkungen verschieden sind, so freundschaftlich bieten sie sich doch oft einander die Hand, und helfen sich wechselseitig ihr Geschäfte erleichtern. Die Seele ist selten, so lange wir wachen und aufre Empfindungen haben, allein auf das Uebereinstimmige in ihren Ideen aufmerksam; fast immer zugleich entwickelt sie und vergleicht ihre gegenwärtige Ideen mit den vergangenen, und entdeckt dadurch an jenen noch mehr Verhältnisse; so wie sie sich im gegentheile bey dem Besinnen, der Ideen Verbindungen welche die Phantasie ihr anbietet, gern bedient, um dadurch desto leichter auf die gesuchten Gedächtniß-Ideen zu kommen.

Tum demum cum nexus ille præsentium aut reproductarum perceptionum atque idearum cum præteritis falso nobis repræsentatur, Recordatio nostra aberrat, atque ad ideas imaginarias pro præsentibus aut præteritis amplectendas, inducitur. Bene SEARCH l. c. Ch. XI, §. 16: "Every body will allow that we *remember* past events according to the *traces* of them remaining in our *Memory*; and when those traces sometimes happen to be altered, we remember wrong; nor has Remembrance been unfrequently compared to reading a written memorandum, which being obliterated gives us imperfect information or none at all, or being erased or interlined in our absence, leads us into mistakes."

ximeque verborum ope, relationes atque differentias idearum nostrarum accurate notare atque conservare sciamus, difficillime succedere, simul constat (o); quare hujus rationis ad Memoriam & Recordationis facultatem adjuvandam, momentum, clare hinc patet. Ac facile etiam intelligitur, cur & Phantasiæ & imprimis Memoriam pars illa activa cum adhibetur, quæ attentionem, conatum atque studium mentis requirit, animus magis fatigetur, quam cum Phantasiæ passivæ indulget lusibus (p); curque vivida admodum Phantasia, maxime cum sensibus gratis ingratisque illorumve ideis intervenientibus excitatur & quasi agitur, Memoriam facile aut opprimat, aut deludat atque in errores inducat (q)? Sed manum de tabula.

(o) Cfr. VON IRWING l. c. § 134, 141 & 161.

(p) Cfr. VON IRWING l. c. §. 110 & 165, (V. I. p. 434 sqq. V. II p. 351 sq).

(q) Cfr. VON IRWING l. c. §. 109.

